

hostis exploratam Venetorum ducum expeditionem, qui ex Novis Urceis in hosticum præ datum iverant: ex Quinciano oppido, ubi tum forte castra habebat, Sforcia ad Venetos opprimendos Bartholomæum Quarterium, Jacobum Salernitanum cum sex equitum turmis repente immisit. Resciverant Veneti de hostium adventu: eos itaque majore spe quam ratione in pugnam ruentes, ad Jovenoltam Cremonensis agri oppidum Picininus Brandolinusque fortiter excipiunt, exceptosque modico negocio fundunt, ac fugant. Ferunt centum sexaginta equites & amplius, eo die ex Sforcianis captos, nec ita multis interjectis diebus ingentem ex hostico prædam abducentam. Imposito namque Abduæ ad Cerretum ponte, munitionibusque utrinque firmato, miserat eo equitatus partem Leonesius, ut Mediolanensem prædarentur agrum, & Ticinensis bus fines infestos redderent. Sforcia ad Venetas equitum alas opprimendas Alexandrum fratrem cum parte copiarum ire iusfit. Leonesius, cognito hostium consilio, Carolum Montonium cum pari equitatu hostem prævenire jubet. Concederat ille loco Venetis munitionibus proximo, nihil minus timens quam hostium adventum; dum Carolus in eum impetum fecit, terroreque subito injecto, sine ullo majore certamine fundit, fusumque castris cum omnibus impedimentis exuit; præter paucos qui cum ipso duce præcipiti fuga se Laudem receperunt, reliqui in Venetorum potestatem venere. Ea clade territus Sforcia, Gido (ubi castra habebat) profectus, Quincianum concessit. Venetarum rerum successu Matthæus Campanus elatus, cum eo equitatu quem habebat, in Mediolanensem agrum prædabundus erupit: in eum præda gravem Thaddæus Æstensis, qui ad hostem transfiverat, ac plerique alii incidentur: continuo utrinque concursum, tumultuariumque prælium commissum, quo Venetus vicit, quadringentis hosti equitibus ademptis, cum tota præda in pacatum abiit. Sforcia, Mella fluvio superato, quid in animo haberet haud satis perspecte poterat intelligi: iccirco Venetus dux & ipse ad Balneolum confedit. Nec ita multo